

D E C R E T U M

**Specialium donum Indulgentiarum conceditur occasione
Iubilaris Anni in honorem Sancti Ioseph a Summo Pontifice
Francisco indicti, ut digne celebretur CL anniversarius dies,
ex quo sanctus Ioseph Catholicae Ecclesiae Patronus
declaratus est.**

Commemorantur hodie CL anni completi, postquam per Decretum “Quemadmodum Deus” Beatus Pius Pp. IX, gravi ac luctuosa temporum asperitate commotus Ecclesiae ab hostibus insectatae, Sanctum Ioseph Catholicae Ecclesiae Patronum declaravit.

Ad perpetuandum universae fiduciam Ecclesiae in singulari Custodis Iesu Infantis patrocinio, Summus Pontifex Franciscus statuit a die hodierno usque ad diem VIII Decembris MMXXI, in ipso praefati Decreti anniversario necnon die Beatae Mariae Virgini Immaculatae ac castissimi Ioseph Sponsae dicato, specialem Sancti Ioseph celebrare Annum, quo omnes christifideles eiusdem exemplo roborent cotidie fidei conversationem suam, voluntatem Dei plene adimplentes.

Omnes autem christifideles, auxilio Sancti Ioseph, Sanctae Familiae de Nazareth Custodis, orationibus et bonis operibus obtinere satagent solacium et levamen a gravibus humanis afflictionibus, quibus nostra aetas laborant.

Devotio erga Redemptoris Custodem aucta copiose est in historia Ecclesiae, quae non solum eximum tribuit ei cultum, inferiorem quam cultum erga Dei Genetricem et eius Sponsam tantum, sed etiam complura adsignavit ei patrocinia.

Ecclesiae Magisterium vetera et nova fastigia in Sancto Ioseph tamquam in thesauro libenter invenire perseverat, ut paterfamilias «qui profert de thesauro suo nova et vetera» (Mt 13,52).

Huic valde desiderato fini consequendo apprime iuvabit donum Sacrarum Indulgentiarum, quod Paenitentiaria Apostolica, per praesens Decretum iuxta Summi Pontificis Francisci mentem editum, totum per Sancti Ioseph Annum benigne dilargitur.

Plenaria conceditur Indulgentia suetis sub condicionibus (nempe sacramentali confessione, communione eucharistica et oratione ad mentem Summi Pontificis) christifidelibus, qui, animo quidem ab omni peccato recesso, Anno Sancti Ioseph interfuerint in circumstantiis et modis ab hac Paenitentiaria Apostolica determinatis.

a.- Sanctus Ioseph, verus vir Fidei, nos hortatur, ut rursus inveniamus filialem cum Patre necessitudinem, renovemus nostram fidelitatem orationi, nos ponemus ad auscultandum et respondeamus cum profundo discrimine voluntati Dei. Igitur plenaria conceditur Indulgentia omnibus, qui per dimidiā saltem horam Orationem Dominicam meditaverint vel unum per saltem diem spiritali interfuerint secessui, qui includat mediationem de Sancto Ioseph.

b.- In Evangelio titulus «viri iusti» (Mt 1,19) Sancto Ioseph tribuitur: qui, custos «intimi arcani, quod est in cordis et animae imo»¹, Dei scilicet mysterii particeps et proinde eximius fori interni patronus, nos impellet, ut silentii, prudentiae et probitatis vim in nostra officia adimplenda retegamus. Iustitiae virtus praeclaro modo a Ioseph exercita, plena est adhaesio legi divinae, legi quidem Misericordiae, «quia Misericordiae Dei est veram complere iustitiam»². Quapropter qui, secundum Sancti Ioseph exemplum, Misericordiae operam adimpleverint sive corporalem sive spiritalem, consequi item poterunt plenariae donum Indulgentiae.

c.- Praecipua nota Ioseph vocationis fuit Sanctae Familiae de Nazareth custos, Beatae Virginis Mariae sponsus et Iesu legalis pater esse. Ut omnes christianae familae urgeantur ad recreandum intimae communionis, amoris et orationis exemplum, quod apud Sanctam Familiam plene adfuit, plenaria conceditur Indulgentia pro fidelibus, qui Sacratissimum Rosarium in familiis et inter desponsos recitaverint.

d.- Dei Servus Pius Pp. XII, die I Maii MCMLV, Sancti Ioseph Opificis instituit festum, «eo intento fine ut ab omnibus hominibus laboris perspiciatur dignitas utque ab eadem socialis inspirentur vita et eaedem leges, secundum aequam iurium et officiorum largitionem constitutae»³. Itaque, plenariam consequi valebit Indulgentiam quicumque cotidie sub Sancti Ioseph praesidio suam commiserit navitatem et quisvis fidelis, qui Nazareni Opificis intercessionem ita invocaverit, ut quisquis sibi quaesierit opus invenire possit et omnium labor dignior sit.

e.- Sancta Familia in Aegyptum fugiens «nos docet ibi adesse Deum ubi homines in periculo versantur, ubi patiuntur, quo evadunt, ubi reppellentur et derelinquentur»⁴. Ita plenaria conceditur Indulgentia fidelibus qui Sancti Ioseph recitaverint Litaniae (pro Latina traditione), seu ad Sanctum Ioseph Akathistos hymnum, integrum vel saltem in congrua parte (pro Byzantina traditione), aliamve ad Sanctum Ioseph orationem, ex ceteris liturgicis traditionibus peculiarem, pro Ecclesia ad intra et ad extra persecuta et ad sublevandos christianos omnes, qui omne genus persecutionis patiuntur.

Sancta Teresia a Iesu patronum agnovit Sanctum Ioseph in omnibus vitae adiunctis: «Aliis Sanctis gratiam Deus dedisse videtur ut in hac aut alia necessitate nobis auxilium dare, cum mens mea experta est gloriosum Sanctum Ioseph extendere patrocinium in omnibus necessitatibus»⁵. Recentioribus temporibus, Sanctus Ioannes Paulus Pp. II iterum repetiit exemplum Sancti Ioseph consequi «renovatam actualitatem pro Ecclesia diebus nostris, quod attinet ad novum christianum millennium»⁶.

Rursus ad affirmandum universale Sancti Ioseph patrocinium in Ecclesia, praeter praedictas circumstantias, haec Paenitentiaria Apostolica plenariam largitur Indulgentiam christifidelibus, qui aliquam recitaverint orationem legitime adprobatam seu pietatis actum in honorem Sancti Ioseph, ex. gr. «Ad te, beate Ioseph», prasertim recurrentibus diebus XIX Martii et I Maii, die festo Sanctae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, die Dominica Sancti Ioseph (pro Byzantina traditione), die XIX cuiusvis mensis ac singula feria IV, de more memoriae Sancti dicata pro ritu latino.

In hodierno publicae salutis discrimine, plenariae Indulgentiae donum maxime effunditur senibus, infirmis, agonizantibus atque omnibus, qui legitimis ex causis exire nequeunt, si, concepta detestatione cuiuscumque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, domi suae aliove in loco, quo impedimentum eos detinet, piis effuderint preces in honorem Sancti Ioseph, solacii infirmorum ac Bonae Mortis Patroni, suis doloribus vel incommodis propriae vitae misericordi Deo fiducialiter oblatis.

Quo igitur accessus ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat, ut omnes sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones

excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi sacramenti Paenitentiae sese praebeant et Sanctam Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti totum per Annum Sancti Ioseph valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die VIII Decembris MMXX.

MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens

L. + S.
In PA tab. n. 866/20/I

¹ Pius XI, Sermo proclamationis occasione heroicarum virtutum Servae Dei Emiliae de Vialar: *L’Osservatore Romano*, 20-21 Martii 1935.

² Franciscus, Allocutio in Audientia generali die 3 Februarii 2016 habita.

³ Pius XII, Sermo sollemitatis occasione Sancti Ioseph Opificis (1 Maii 1955).

⁴ Franciscus, Angelus (29 Decembris 2016).

⁵ Teresia a Iesu, *Vita*, VI.

⁶ Ioannes Paulus II, Exhortatio Apostolica “Redemptoris Custos” (15 Augusti 1989), 32.